



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum**

**Heinrich <VIII., England, König>**

**Parisiis, 1562**

Qvartvm. Non manere substantiam panis cum sacrosancto Christi corpore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30233**

Contra Capt. Babyl. Cap. IIII.  
NON MANERE SVBSTAN-

tiam panis cum sacrosancto  
Christi corpore.

I.



Varto loco contendit Lutherus, post consecratam Eucharistiam manere panem, & eundem esse corpus Christi. Et hic principio Regem incessit, perinde ac si præter Ambrosij verbum, Et oportet sic esse, nihil attulisset quod Lutheri sententiam refelleret. Quod si verum fuerit, non est mētitus Lutherus. Sin contra falsissimum sit, vt iam plane deprehendes lector, quis illum tuebitur à mendacio? Ex hoc iterum disce quanta sit hominis huius impudentia: qui quum vbique tam apertis scateat mendaciis, audet tamē asserere se certum esse, sua dogmata se habere de cœlo. Perspicias lector nihil hinc noui Lutherum adduxisse præter conuicia, quorum se præbet mirum artificem, quibusque multo magis quàm solidis argumentis confidit. Illis auditores ita se fascinaturum sperat, & eorum aures occupaturum, vt errores aduertendi nullum præterea sit ocium. Sed tu candide lector aurem



aurem alteram illustrissimo regi serua: cō-  
periesque nihil eorum quibus Lutherus  
nititur, solidum esse, sed cuncta funditus  
euerfa. Contra panis trāssubstātionem  
in Babylonica sua captiuitate rationem  
hanc primam attulit.

Est (inquit) meæ sentētię ratio magna, «  
in primis illa, quòd verbis diuinis non est «  
vlla faciēda vis, neque per hominem, ne- «  
que per angelum, sed quantum fieri po- «  
test, in simplicissima significatione seruan- «  
da sunt: & nisi manifesta circumstantia co- «  
gat, extra grāmaticam & propriam signi- «  
ficantiam accipiēda non sunt, vt detur «  
aduersariis occasio vniuersam scripturā «  
cludendi. Cum igitur Euangelistę clare «  
scribant Christum accepisse panem ac be- «  
nedixisse, & Actuum liber & Paulus apo- «  
stolus panem deinceps appellent, verum «  
oportet intelligi panem, verumque vinū, «  
sicut verum calicem. non enim calicem «  
transsubstantiari etiā ipsi dicunt. Hac- «  
tenus Lutherus.

Hic profecto rex illustrissimus ita ner-  
uos omnes intēdit, Lutherumque sic pro-  
sternit, vt nemo quātumuis in scholis ex-  
ercitatus id vel acumine, vel impetu

L



Contra Capt. Babyl. Cap. IIII.

*Regis ver-  
ba.*

*Non rema-  
nere panē  
post conse-  
crationem.*

*Matth. 26.*

*Marc. 14.*

queat efficere validiore. Sed ipsum regem  
audiamus. Hęc est ergo magna, & (quem-  
admodum ait ipse) primaria Lutheri ra-  
tio: quam ego me spero facturū vt omnes  
quamprimum intelligant nihil magni ha-  
bere momenti. Nam primum id quod ait,  
Euangelistas clarē dicere: quantūuis clarē  
dicant, pro Luthero tamē nihil clarē pro-  
bat: contrā verò quod pro illo probaret,  
hoc nusquam dicunt. An nō scribunt (in-  
quit) accepisse panē, & benedixisse? Quid  
tum postea? Accepisse & benedixisse, etiā  
nos fatemur. Panē verò dedisse discipulis  
postquā inde suū corpus cōfecerat: hoc &  
nos instanter negamus, & Euāgelistæ nō  
dicūt. Quæ res quò fiat apertior, & tergi-  
uersandi minus pateat locus, Euangelistas  
ipso audiamus. Matthęus ergo sic narrat:  
Cœnātibus autem eis, accepit Iesus panē,  
& benedixit, ac fregit, deditque discipulis  
suis, & ait, Accipite & comedite, hoc est  
corpus meum. Et accipiēs calicem, gratias  
egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc om-  
nes. hic est sanguis meus noui testamēti,  
qui pro multis effundetur in remissionem  
peccatorum. Marci verò verba sunt ista:  
Et manducantibus illis, accepit Iesus pa-



De substantia panis in Eucharistia. 74

nem, & benedicens fregit & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes: & ait illis, Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Lucas denique narrat hoc pacto: Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens, Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

*Luca. 22.*

Ex omnibus his Evangelistarum verbis nullum video locum, in quo post consecrationem sacramentum vocetur panis aut vinum, sed tantum corpus & sanguis. Dicunt in manus Christum sumpsisse panem, id quod etiam nunc fatemur omnes: at quum reciperent apostoli, non panis nominatur, sed corpus. At Lutherus Evangelistæ verba in suam partem conatur interpretatione torquere. Accipite, manducate: hoc (id est, hic panis (inquit is) quem acceperat & fregerat) est corpus meum. Sed hæc est interpretatio Lutheri, non verba Christi, neque verborum sensus. Si

*Lutheri  
interpretatio.*

*Cōfutatio.*



Contra Capt. Babyl. Ca. III.

panem quem accepit, quemadmodum accepit, sic tradidisset discipulis: nec antè conuertisset in carnem, ac porrigendo dixisset, Accipite & manducate: rectè diceretur porrexisset quod in manus acceperat, nihil enim fuisset aliud quod porrigeretur. At quum priusquam daret apostolis manducandum, panem conuertit in carnem, non iam accipiunt panem, quem ille susceperat, sed corpus eius in quod panem conuerterat. Haftenus ipse rex.

*Christus conuertit panem in carnem.*

II.  
*Roffensis.*

Lector beneuole quisquis hæc legeris, te per eruditionem tuam precor, hic toto adsis animo, diligenterque pensites quam verè Rex scopum attigerit, & quam inuitabile telum hic in Lutherum vibrauerit. Aduerte primùm quàm efficaciter diluat id, quod iusta argumentatione subsumere Lutherum oportuit, nempe quòd ab Euangelistis Christi corpus verè panis, hoc est triticeus panis, vocetur: id quod ipse tam ex Euangelistis quàm ex apostolorum actis atque etiam ex Paulo monstrare conabatur. Rex igitur, recensitis tribus Euangelistis, Matheo, Marco, Luca, palam docet, ab eorùm nemine corpus Christi vocari panem, neque simul fuisse panem & corpus



De substantia panis in Eucharistia. 75

Christi: sed tunc panem fuisse, quum illum  
Christus accepit in manus: at quum apo-  
stolis dedisset, non fuisse panem, sed verè  
corpus Christi. Quamobrem & dixit, Hoc  
est corpus meum: non hic panis, vt Luthe-  
rus interpretatur. Nam interea postquam  
acceperat panem, & antequam apostolis ad-  
edendum porrexerat, conuertit ipsum in  
suum corpus: vt iam non panem accepe-  
rint apostoli, sed Christi corpus in quod  
fuerat panis antè conuersus. Si panis iste  
mansisset panis, nec mutatus fuisset in  
Christi corpus, dixisset Christus, Hic est  
corpus meum: vt esset pronomen eius-  
dem generis, cuius erat & panis demon-  
stratus, de quo iam facta fuerat mentio,  
nempe generis masculini. nam huius ge-  
neris panem esse constat non minus apud  
Græcos, quàm apud Latinos. Sed vt quod  
dixerat, fiat cunctis dilucidum, exemplum  
hoc attulit. Quemadmodum (inquit) si quis  
quum semen accepisset, mox inde natum  
florè alteri daret, aliud accepit, aliud de-  
dit: sic Christus (inquit) panem accepit,  
& panem nõ dedit, sed corpus proprium,  
in quod panis antè mutat<sup>9</sup> fuerat. Vt igitur  
istam conuersionem factam Christus

*Exempl<sup>9</sup>  
Regis.*



Contra Capt. Babyl. Cap. IIII.

palam faceret, noluit dicere, Hic panis est corpus meum, sed, Hoc est corpus meum: nempe corpus propriū ostendēs, in quod erat versus panis. Quando igitur nullus Euangelistarum affirmat Christū apostolis dedisse panem, sed accepisse duntaxat, dedisseq; suum corpus, nihil pro Lutheri parte (quod iam intelligis lector) Euangelistarum testimonia valent.

*Argumen-  
tum Luth.  
cōfutatur.*

Ratio igitur Lutheri, quam tamen ipse magnā fuisse iactabat, iam nulla est, quantum ad Euangelistarum attinet testimonia, quin magis contra seipsum aperte pugnat. Nam si grammaticam sequi debeamus, quis non videt articulo neutri generis, id quod neutri generis est monstrandum esse, potius quā quod est generis masculini? Sed neq; negat Lutherus Christi corp<sup>o</sup> fuisse realiter presens in eo quod apostolis suis ipse porrexerat, & antequam porrexerit. Quid ergo prohibet quin Christus ostendere potuit corpus suum, quum id ipsum apostolis porrexit dicēs, Hoc est corpus meum? Quæ violentia iam Christi verbis infertur? Nulla profecto: quum tamen si sic interpreteris, hoc id est hic panis, manifestissimè vim inferas. Quā rem



ex ipsius Lutheri verbis aperte docebi-  
mus. Nam is affirmat cuique liberum esse  
quid malit ex his verbis credere, vel panem  
esse, vel non panem. At si sic accipienda sint,  
hoc, id est hic panis, iam non est liberum.  
Ergo qui sic interpretatur, vim omnino  
Christi verbis infert. Istud (opinor) tam  
est perspicuum, ut nemo nisi pertinax opi-  
nionis Lutheranae defensor, non plane per-  
spiciat. Et tamen ita conatur elabi Luthe-  
rus in hoc posteriori libello, ut dicat re-  
gem petisse principium, quum rex eius ra-  
tioni respondeat, & plane convincat illum  
sua non probasse.

Sed & istud observa candidissime le-  
ctor, quam dilucido rex ea quae dixerat,  
exemplo comprobet e scripturis petito.  
Ut enim Aaronis virga quam esset in colu-  
brum versa, & quam vicissim ex colubro re-  
diit in virgam, nunquam simul fuit & coluber  
& virga, ita nec panis in corpore Christi ver-  
sus simul fuit panis ac corpus Christi. Nam  
si cum colubro virga restare non potuit, ut  
idem simul esset & coluber & virga, quan-  
to minus restare potest panis cum carne  
Christi tam incomparabili substantia, ut  
idem simul dicatur & panis & corpus Christi.

III.

*Exemplum*

*Regis.*

*Exod. 4.*



*Obiectio.* *sti?* Sed pro Lutheri parte quispiam obie-  
ctabit, contendens haud aliter fieri posse,  
quin panem verū dederit apostolis: nam  
sic Matthæus apertè scribit: Vescentibus  
autem eis, accepit Iesus panem: & quum  
egisset gratias, fregit, deditque discipulis.  
Hæc vox, panem, tria verba respicit, hoc  
est accepit, fregit, dedit. Panis ergo fuit  
acceptus, fractus, datus. Nam & Lutherus  
» hoc ipsum iam obiecit. Textus (inquit)  
» sic habet: Accepit panem, benedixit, fre-  
» git: & dixit, hoc est &c. Vides hic vt om-  
» nia illa verba, accepit, benedixit, fregit, de  
» pane dicantur. Et eūdem demonstrat pro-  
» nomen hoc, quia illud ipsum quod acce-  
» pit, benedixit, fregit. hoc (inquam) ac-  
» ceptum & benedictum & fractum signi-  
» ficatur, cum dicitur, Hoc est corpus meū.  
» non prædicatum, sed subiectum demon-  
» stratur. Non enim corpus suum accepit,  
» benedixit, & fregit, sed panem: ideo non  
» demonstrat corpus, sed panem. At istud  
*Dilutio.* nihil cogit. Nam similiter apud Lucam  
*Lucæ. 22.* de calice scriptum est: Et accepto calice  
gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite  
inter vos. Hic tametsi calicem accepisse  
scribitur, & gratias egisse, & dixisse, Di-



De substantia panis in Eucharistia. 77

uidite inter vos: palam est non intellexisse diuidendum esse calicem. Sed nos obiectionem Lutheranam apertiori conabimur exemplo diluere. Tradunt historiæ Iuliam Octauiani Cæsaris filiam ouum in gremio suo tam diu fouisse, quoad substantia tota quæ intra testam continebatur, versa fuisset in pullum. Nunc si dixeris Iuliam ouum accepisse, & posteaquam diu fouisset, fregisse, dedissetque nutrici, verum dices: neque tamen verum est quòd ouum ipsa dederit, sed pullum sub testa quæ pridem fuerat oui. Sic nimirum & hic quum refert Matthæus de Christo, quòd panem acceperit, & gratiis actis fregerit, ac dederit discipulis suis, nihil ego dubito quin sic interea Christus hunc panem tractauerit, vt priusquam eum accepissent discipuli, versus esset in veram Christi carnem. Propter quod & Christus non panem ostendit quum dixisset, Hoc est corpus meum, sed suum ipsius corpus sub specie panis qui iam conuersus in carnem fuerat, indicauit.

*Matt. 26.*

*Christus panem verum in carnem suam.*

Similiter & quum ex aqua vinum in nuptiis per Christum fieret, verum est quòd sex illis hydriis aquam infuderint ministri,



Contra Capt. Babyl. Cap. III.

*Iohan. 2.* & rursus hauserint, ac demum obtulerint architriclino: sed plane falsum est quod hauserint & obtulerint aquam, licet aquam infuderint, quum interea fuisset in vinum aqua versa. Sed & Christus ut quum infunderetur in hydrias, dixisset, haec est aqua: ita quum effunderetur, & propinaretur architriclino, pronunciaisset hoc esse vinum, non iam aquam, quae non remanserat, sed vinum prorsus indicans. His itaque duobus exemplis dilucidum esse puto, quod Christus non panem, sed suum corpus, in quod panis erat conuersus, demonstrasset. Nam haud dubie si panem demonstrasset, non articulo neutri generis usus fuisset, sed masculini, quemadmodum & regium acumen superius annotauit. Facit pro nobis magnopere mos loquendi scripturae. Nam articulus demonstrandi passim cum re demonstrata conuenit: id quod apertissimè liquet per totam Euangelisferiam. Christus enim quum apud Iohannem de baptista loqueretur, dixit: Ille erat lucerna ardens & lucens. articulus congruit cum re demonstrata. Et rursus quum dicit apud Mattheum, Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in

*Articulo-  
rum obser-  
uatio in  
scriptura.*

*Iohan. 5.*

*Matth. 21.*



caput anguli. quoniam de lapide prius erat sermo, pronomen eiusdem generis est, cuius & lapis. Quamobrem quum in hoc loco quem tractauimus, planè variatum sit de genere, tam vbi de corpore loquitur, quàm vbi de sanguine: manifestum est quòd voluit intelligi mutationem vtrobique fuisse factam, & illud demonstratum esse, in quod facta fuisset mutatio, hoc est nō panem, sed corpus: nec vinum, sed sanguinè: quibus & aptissimè respondent articuli, quum de sanguine dixisset, Hic est sanguis meus: & de corpore, Hoc est corpus meum. Suffragatur ita responsioni regis tam grammatica quàm etiam scripturæ loquendi modus.

Cæterum illud Lutherū fefellit, quod **IIII** apud Cardinalem Cameracensem, se quū theologiam scholasticam hauriret, legisse gloriatur, nempe multo probabilius esse, & minus superfluum miraculorum esse, si in altari verus panis verumq; vinum, non autē accidentia sola esse astrueretur. nam ex hac opinione nō satis intellecta Lutherus in has tenebras decidit, ut opinetur eos qui cū Cameracensi sentiūt, eundem omnino panem facta conuersione

*Lutherus  
ignorantia  
deceptus.*



Contra Capti. Babyl. Ca. IIII.

manere. quod sanè falsum est. Nā etsi possi-  
bilitatem illi doceant quomodo substā-  
tia panis maneat, non hoc tamen voluit  
esse possibile, vt idem ipse panis resset,  
qui prior ante fuit, hoc est, idem suppositum  
panis, quemadmodum ipsi loquuntur. Sic enim  
nulla prorsus esset facta mutatio, neque  
Christus esset illic sacramentaliter, sed localiter  
duntaxat. Neque verum esset dicere, Hic panis  
quem acceperat Iesus, est hoc corpus Christi.  
Hæc omnia peritis & exercitatis disceptatoribus  
clara sunt. Nā si non aliter esset Christi  
corpus in pane, quā idē fuerat in ianuā  
vel in muro quando ad discipulos ianuā  
clausis intrauit, quod & citra mutationem  
omnem vel ianuæ vel muri contigit, nihil  
verius erit dicere, Hic panis est corpus  
Christi, quā, hic murus est corpus Christi.  
At neminem opinor adeo rudem esse, vt  
credat, ob solam Christi præsentiam in muro,  
murū ipsum fuisse corpus Christi. Neque enim  
sola coniunctio, quātumuis intima fuerit,  
efficit vt res vna vere possit de altera  
affirmari. Nam etsi forma sit ita materiæ  
sue cōiunctissima, vt vere compositū vnum  
cōstituāt: nemo ta-

Joan. 20.



De substantia panis in Eucharistia. 79.

men afferit hanc materiã esse formam istã, aut è diuerso formã istã esse materiã hanc: sed ex his vnum cõflari compositũ. Sed & quid intimius animæ nostræ cogitari possit, quàm sit deus? & tamen absit vt affirmemus animam esse deũ, quum nec anima Christi, quæ tamen in eodẽ supposito sit quod est deus, possit dici deus. Nõ est ergo verum, quòd idẽ ipse panis quẽ accepit Christus, & fregit, ita remansit cũ corpore, & vere vnquã hic panis dici potuisset hoc corpus. Nã si prorsus idẽ panis remansit, nulla fuisset in pane facta mutatio.

Quæ res vt apertior fiat, tria, quantum ad præsens negotium attinet, in pane cõsideremus. Primum ipsam substantiã panis, in quo singuli panes cõueniũt. Deinde id quo dicitur hic panis subsistere, suppositumq; (vt aiunt) esse diuersum nõ solum ab alio quouis pane, verumetiam ab alia quavis re quæ nõ est ipse panis. Tertium, accidentia quæ cõsequuntur hũc panẽ. Iam si restet hæc omnia quæ prius fuerat in pane, quæ (precor) mutatio facta est circa panẽ, quo iã dici possit corpus Christi, magis q̃ murus per quẽ intrauit ad discipulos Christus, aut saxũ per quod exiit

V.  
*Post consecrationem non remanet panis.*

*Iohan. 20.  
Matt. 27.*



Contra Capt. Babil. Cap. IIII.

*Luca. 2.* è cōsignato sepulchro, aut demum vteris virginis per quem illæsum natus est in mundum? Hæc eadem exempla memorat

*Affertio* & adducit ipse Lutherus: vt mirum sit eū  
*Luthe. contra eum ipsū.* vsque adeo cæcutire, vt nō cernat se ipsum suo iugulari gladio. Quid facient inquit?  
» Christus ex vtero matris natus creditur  
» illæso. Dicant & hic carnem illam virginis fuisse annihilatam, seu vt aptius dicunt, transsubstantiatam, vt Christus in accidentibus eius inuolutus tandem per accidentia prodiret. Idem dicendum erit de ianua clausa, & ostio monumenti clauso, per quæ illæsa intrauit & exiuit. Hæc Lutherus.

*Cōfutatō.* At nos, Luthe, vt non dicimus carnem vteri virginis annihilatam, aut transsubstantiatam, ita nec affirmamus eandem fuisse prorsus ipsius vteri carnem, & carnem Christi, sed aliā, & aliud omnino corpus vtriusq;. Neq; enim vterū virginis Christum dicimus, tametsi fuisset in eo Christus: neque ianuam domus illius per quam ad apostolos introiit Christus, sed nec ostiū deniq; monumenti, per quod resurgens Christus exiuit, Christū audemus appellare. Absit à nobis tanta temeritas. Et



tamen si non aliter esset in sacramento  
Christus, quàm fuisset in ianua seu in  
ostio, nihilo verius esset hoc sacramen-  
tum Christus, quàm fuisset ipsum ostium  
aut illa ianua. Vides ergo quàm dilucide  
propria tua exempla teipsum confodiunt.

Quid referam illud de ferro & igne,  
quo moliris ostendere corpus gloriosum  
simul esse posse cum pane? id cui nemo  
reluctatur. Neque enim inficiamur cor-  
pus Christi simul esse posse cum pane  
absque omni penitus mutatione panis,  
sed negamus ex hoc pane prorsus immu-  
tato factum esse corpus Christi. Nisi enim  
immutetur panis quantum ad aliquod  
trium de quibus supra differuimus, nun-  
quam fiet panis ipse corpus Christi. Sed  
neque sufficit accidentium permutatio,  
sicut fit in permixtione ignis & ferri: cu-  
ius exempli Lutherus quoque meminit.  
Sic enim (inquit) in cādenti ferro permi-  
scentur inuicem ignis & ferrum, vt quæ-  
libet eius pars sit simul ignis & ferrum.  
At istud planè falsum est. Nam etsi nul-  
la sit portio ferri quantūuis exigua, in qua  
nō simul reperiatur & ignis, tamē ob hāc  
permixtionē & vnionem nondū verū est

VI.

*Ad alia  
Lutheri  
exempla.*



*Substantia  
ignis non  
mutatur in  
ferrum.*

quòd hic ignis sit hoc ferrum, quum hæ natura quantum ad substantias suas penitus immutatae sint, & omnino diuersae remaneant. Multo igitur minus in hoc sacramento panis est corpus Christi, si, quod Lutherus affirmat, nulla prorsus facta sit huius panis mutatio. Quando igitur, ut cernimus, accidentia panis manent, necessario cõsequitur, ut nisi vel depereat ipsa panis substantia, vel id saltem quo subsistere panis dicebatur, vel vtrumque, nunquam recte dicetur id esse corpus Christi. Errat igitur apertissimè Lutherus, quum sic interpretetur Christi verba dicentis, Hoc est corpus meum, id est, hic panis, quæ acceperat & fregerat, est corpus meum.

*Matth. 26.*

*Luce. 22.*

*Marci. 14.*

Ad hæc, anima Christi beatissima quam in vno supposito & eodem infinito sic vnita sanctissimo suo corpori fuerit, ut tota sit in qualibet illius corporis parte, non tamen ista satis conficiunt, ut hæc anima verè sit hoc corpus, aut retrorsum hoc corpus verè sit hæc anima. Quamobrem quandiu mansit idem panis qui prius fuerat, nihil immutatus, nunquam ob solam Christi realem præsentiam verè dici possit, quòd hic panis, quem acceperat & fregerat



fregerat Christus, erat ipsius corpus. Vides ergo lector nondum ex euangeliiis Lutherum probasse panem fuisse datum apostolis, sed corpus Christi, in quod ante mutatus erat panis. Et propterea dixisse Christum, Hoc est corpus meum, non hic panis, vt falso Lutherus interpretatur.

Tantā sibi licentiam Lutherus in scripturis arrogat, vt pro mera sui capitis infamia torqueat, addat, imminuat, inuertat. & quicquid libet faciat: sed & quicquid ita fecerit, ratum haberi vult, nulla reddita ratione, sed tantū, sic oportet intelligi: quod tamen in regis illustrissimi libro nō semel damnare præsumpserit.

Quòd si quaesito subterfugio Lutherus dixerit, panem ita fuisse Christi verbis immutatum, vt esset assumptus in vnitatem suppositi cum Christo, quemadmodum & his placet qui cum Cameracensi sentiunt: hi tamen nec affirmāt nec defendere possunt, quòd hic panis quem Christus acciperat, sit corpus Christi, quomodo Lutherus temere interpretatur. Sed & eorum opinioni reclamāt scripturæ, si, quod Lutherus vult, secundum grammaticam & simplicissimā significationem accipiendæ

M

VII.  
*Opinio Cameracensis non usquequaque tuta.*



Contra Capti. Babyl. Cap. IIII.

fint. Nam quum isti dicant, Panis est corpus Christi, de corpore nolunt intelligi quod est altera pars compositi, sed de corpore quod est genus. At manifestum est tres Euangelistas, Matthæum, Marcum, & Lucam, quum recensent verba Christi dicentis, Hoc est corpus meum, de corpore quod est altera pars compositi, non de corpore quod est genus, intellexisse. Nam si de corpore quod est genus, intellexissent, scripsissent potius dixisse Christum, Hoc est corpus quod sum ego: non, Hoc est corpus meum. Quare nec istud subterfugium tutari potest errorem Lutheri. Adde, quod Psalmo. 15. David ait: Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Quæ locum omnes exponunt de corpore Christi. Sed & in actis Petrus, actorum. 2. Paulus item tertio decimo testimonium affirmat de corpore Christi. Nam Petrus ita: David enim dicit: Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniã à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, & caro mea requiescet in spe: Quoniã non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre

*Matt. 26.*

*Marci. 14.*

*Lucæ. 22.*

*Psal. 15.*



De substantia panis in Eucharistia. 82

corruptionem. Et Paulus ita: Quòd autem suscitauit eum à mortuis, iam non amplius reuersurum in corruptionem, ita dixit: Dabo vobis sancta Dauid fidelia. *Psal. 15.* Ideo & aliàs dicit: Non permittes vt sanctus tuus videat corruptionem. Nam Dauid quidem quum suæ ætati inseruisset, consilio dei dormiuit, & appositus est ad patres suos, viditque corruptionem, nempe secundum carnem. At is quem deus suscitauit, non vidit corruptionem. Ecce benigne lector, caro Christi non potuit videre corruptionem: quomodo ergo fieri potest, vt hic panis, qui si maneat, corruptioni obnoxius est, sit hæc caro Christi, quum vt iam audis, caro Christi non potest videre corruptionem? Neque enim semel visum est ex reliquiis panis in hoc sacramento per sacerdotum incuriam vermes & putredinem nasci. *Species panis in sacramento corrumpitur.* Quocirca tutius fuerit cuius æquo cenatori cum ecclesia credere, quòd caro Christi non sit ille panis triticeus, qui sanè putredini obnoxius est, quanquam sacerdos pridem illum benedixit: neque quòd verè dici possit, Hic panis est hoc corpus.



Contra Captiuita. Babyl. Cap. III.

VIII.  
Ioan 14.

Accedit huc id quod superius de spiritu sancto differuimus, nimirum quod ipse quum iuxta Christi pollicitationem sit perpetuus ecclesie custos, suggeret & insinuabit mentibus fidelium, & maxime patribus ob eam rem in vnum congregatis, veritatem verborum Christi, si quando quæpiam ex eis obscuritas orietur. Quando igitur in concilio Lateranensi mille trecenti quidecim patres, ob huius veritatis declarationem, ex toto orbe Christiano conuenerant, iidemque ipsi Christi verba sic duxerant explicanda, ut crederemus panem nequaquam restare cum corpore: neque vlla omnino suspicio fuit patres ipsos intuitum suum aliò deflexisse, quàm ad ipsam veritatem conquirendam. Quum inquam hæc ita se habeant, si non frustra Christus diuini spiritus opem in his dubiis elucidandis pollicitus fuisset, si non sefellisset tot orthodoxos patres spiritus ipse veritatis, tam suppliciter ab eisdem inuocatus, non est ambiguum quin ei decreto quod ipsa synodus tot sanctorum patrum Laterani tulerit, multo certior à quouis Christiano fides adhibenda sit, quàm vllis Martini Lutheri commētis.

*Determinatio concilii super non remanentia patris.*

*Concilio fidelum est.*



quantavis arte studiove politis. Cæterum  
si quis ipsius concilij verba forte requirat,  
sic hac de re fidelibus credendum tradidit:  
Vna est (inquit) fidelium vniuersalis ec-  
clesia, extra quam nullus omnino salua-  
tur. In qua idem ipse sacerdos est & sacri-  
ficium Iesus Christus, cuius corpus & san-  
guis in sacramento altaris sub speciebus  
panis & vini veraciter continentur, trās-  
substantiatis pane in corpus, & vino in  
sanguinem diuina potestate. Hactenus  
ex concilio. Nō ergo rectè Lutherus no-  
bis reſerat Christi verba, quum dicit, Hoc  
id est hic panis, est corpus meum: quum  
tot patrum ſynodus affirmet panem & vi-  
num diuina potestate in corpus & fan-  
guinem Christi transubstantiari.

Sed decet quiſpiam, Lutherus pro nihi-  
lo concilium iſtud habet. Eſto: Et nos Lu-  
theri expoſitionem tantidem facimus. Cæ-  
terum nemo ſanę mentis eſt, qui nō Chri-  
ſti pollicitationibus fidat, quas de ſpiritu  
ſancto traditas, toties recenſuimus. Chri-  
ſtus nequaquã fallere poteſt. Quare veriſ-  
ſimũ eſt quod ipſe fuerat pollicitus, nepe  
ſpiritũ veritatis nobis omnia ſuggeſturũ,  
quę pridẽ apoſtoliſ Christus ipſe dixiſſet.

M ij

*Canilli cõ-  
ſutatio.*



Contra Capti. Babyl. Ca. IIII.

Adde, quòd quum Lutherus cuique liberum arbitrium esse contendat quid malit credere, cur non potius tot patribus fidem adhibebimus, quàm vni Luthero? Nam Luthero non credere nullum omnino periculum sit: at patres ipsos contemnere nemo potest citra manifestum animæ suæ discrimen.

IX.

Sed adhuc quanto ingenio rex illustrissimus alteram argutiam Lutheri conuellit, aduertamus. Argutatur ita Lutherus: Nōne Christus videtur huic curiositati pulchrè occurrisse, quum nō de vino dixerit, Hoc est sanguis meus, sed, hic est sanguis meus? Respondit rex: Quod argutatur, imò nugatur Lutherus hoc pro suæ fidei simplicitate facere, quū de vino dicat Christus, non, Hoc est sanguis meus, sed Hic est sanguis meus: miror quid homini venerit in mentem quum istud scriberet. Quis enim non videt, quàm nihil omnino faciat pro eo: imò contra videretur magis pro eo fecisse, si dixisset Christus, Hoc est sanguis meus: habuisset enim ansam saltem Lutherus qua demonstrandi articulum referret ad vinū. Nunc verò quum vinum sit neutri generis, Chri-



stus ait, nō hoc, sed, Hic est sanguis meus.  
Et quū panis sit generis masculi, ait tamē,  
Hoc est corpus meum, non hic: vt uterq;  
ostendat articulus Christum neque pa-  
nem propinare, neque vinum, sed suum  
ipsius corpus & sanguinem. Haecenus ip-  
se rex.

Videre licet hic mirā ingenij regij vi-  
uacitatem, qui tam acutē deprehēdit hal-  
lucinari Lutherum: & id pro sua defen-  
sione Lutherum iam in medium attulisse  
quod eū poti⁹ impugnat & euertit, quā  
ei quicquam opituletur. Plus enim haud  
dubie pro Lutheri instituto fecisset, si di-  
xisset Christus, Hoc est sanguis meus,  
quā dicens, Hic est sanguis meus. Nam  
sic quum vinum sit neutri generis, de-  
buisset pronomen hoc, ad vinum refer-  
ri, nec faciliē potuisset demonstrare san-  
guinem. Quoniam itaque Christus di-  
xit, Hic est sanguis meus, non, Hoc est  
sanguis meus: apertissimum est eum non  
vinum quod neutri generis est, sed san-  
guinem, quod est masculi, demonstra-  
se. Et rursus quum dixerit, non, Hic  
est corpus meū, sed, hoc est corpus meū:  
apertē docuit se non panē, quod masculi

*Roffensis.*

*Mat. 26.*



generis est, sed corpus quod est neutri generis, indicasse. Quãobrẽ omnino contra Lutherum facit hæc propria, quam attulit, argutatio. Sed adhuc alterã audiamus. Sic enim pergit nugari Lutherus:

X.

Quòd autem in græco & latino pronomen hoc, ad corpus refertur, facit similitudo generis. Sed in hebræo, ubi neutrum genus non est, refertur ad panem, ut sic liceat dicere, Hic est corpus meum. Quod & ipse usus loquendi, & sensus communis probat, subiectum scilicet esse monstratum panis, & non corporis, dum dicit, Hoc est corpus meum. Hæc Lutherus, cui rex ita respondit.

Rex.

Quòd videri vult Lutherus pronomen hoc, ad corpus referri, non Christi proposito, sed occasione linguarum, nempe Latinæ & Græcæ, ac proinde nos remittit ad Hebraicam, an non ridiculum est? Nã Hebræa lingua si neutrum genus non habet, non potest tam apertè declarare, ad utrum Christus retulit articulum, quàm Latina vel Græca. Nam in Hebræa lingua si articulus fuisset masculus, quanquã diceret, hic est corpus meum, tamen res relinqueretur ambigua: quia potuisset ea



locutio videri coacta, necessitate linguæ non habentis neutrum. Sed quum apud Latinos panis & corpus sint diuersi generis, is qui transtulit è Græca, articulum coniunxisset cum pane, nisi apud Euangelistam reperisset demonstrationem factam de corpore. Haftenus ipse Rex.

*Lingua  
Hebræa caret neutro genere.*

Et hic planè cernis lector Regè aper-  
tissimè prodidisse Lutheri nugas. Et pri-  
mum quòd miserit nos Lutherus ad lin-  
guam Hebræam, quæ quum neutrum ge-  
nus non habeat, non potest non ob idip-  
sum incerta nobis esse, vtrum panem an  
corpus voluerit demonstrari.

*Sex vari-  
tionibus  
corroborã-  
tur regis  
asserta.  
Prima.*

Adde quòd nihil ad hoc negocij spe-  
ctans habemus in ea lingua scriptum, &  
ideo magis nugatur, quum id quæri iu-  
beat, quod inueniri non possit.

*Secunda.*

Ad hæc, certum est Marcum & Lucam  
scripsisse Græcè, & quum vterque recen-  
sit Christi verbis, panem exprimat voce  
generis masculi, corpus autem voce ge-  
neris neutri, demonstrandi tamen articu-  
lum eiusdem generis adhibent cuius est  
& corpus, an non certissimū est eos cor-  
pus voluisse demonstrari?

*Tertia.*

Præterea quum sit omnibus receptissi-

*Quarta.*



num, Marcum velut abbreviatorem fuisse Matthæi, idem apud vtrūque necesse est demonstratur. Quamobrem quum in Marco demonstrandi articulus cum corpore non cum pane conveniat, sic etiam oportuit apud Matthæum hebraicè scribentem fieri.

*Quinta.*

Accedit his, quòd in verbis ad sanguinem spectantibus, perspicuum est articulum ad sanguinem referri debere. Quum enim duorum tantū meminisset Christus, nempe calicis & sanguinis, neque de vino fecisset vllam mentionem, alterū istorum, hoc est, aut calicem, aut sanguinem oportuit demonstrari. Sed nemo tam insanus est, vt calicem dixerit fuisse demonstratum, quū calix nō sit sanguis Christi. ergo verè fuit demonstratus sanguis. Quamobrem & de corpore nec dissimiliter sentiendum est, nempe corpus, non panem fuisse demonstratum.

*Sexta.*

Postremò quum apud Græcos tam cælix quàm sanguis generis neutri sint, & vinum generis masculi, debuissent Evangelistæ vinū demonstrantes, pronomen apposuisse generis masculi. Istud igitur quū palā sit eos neutiquam fecisse, diluci-



De substantia panis in Eucharistia. 86

dū item erit nec vinū eos voluisse demō-  
strare. Quamobrē quū neque calicem in-  
dicare licuit (vt ostendimus) reliquū est  
vt solum sanguinē Christus ipse demon-  
strauerit. Quod similiter & de corpore  
fecisse nō est dubium. Cæterū illustrissi-  
mus adhuc alia ratione refellit priores  
Lutheri nugas, nimirum hac:

Præterea quū Lutherus fateatur idem XI  
generis discrimen esse & Græcis, facile  
potuisset cognoscere, Euāgelistas, qui scri-  
pserunt græcè, articulum fuisse posituros  
qui referretur ad panē, nisi quòd conscij  
mentis dominicæ, voluerunt admonere  
Christianos, articulo corporis, Christum  
nō panē cōmunicasse discipulis, sed cor-  
pus. Quāobrē quòd Lutherus interpreta-  
tur in suā partem verba Christi, Accipite  
& manducate, hoc est corpus meū, id est  
hic panis, quē acceperat: non ego, sed ipse  
Christus contrā docet sua verba intel-  
ligi, nempe hoc quod eis porrigebat, non  
esse (quod ipsis videbatur) panem, sed  
suum ipsius corpus, si rectè Christi ver-  
ba recensent Euangelistæ. Nam alio-  
qui poterat dicere, non hoc (quod ex-  
poneretur, id est hic) sed apertè potius,



Contra cap. Babyl. Ca. III.

hic panis est corpus meum: quo sermone docerentur discipuli, id quod nunc Lutherus docet ecclesiam, nempe in Eucharistia pariter & Christi esse corpus, & panem. Nunc verò sic loquutus est ut ostenderet manifestè corpus dumtaxat esse, non panem. Huc vsque Rex.

*Zoffensis.*

Hic etiam regia celsitudo planè protesternit Lutherum. Nam omnes qui græcè latineque quicquam sciunt, intelligunt idem in iis voculis, nempe panis & corporis, esse discrimen tam apud græcos quàm apud nos. Quando igitur Evangelistæ qui græcè scripserunt, demonstrandi articulum conuenire fecerint non cum pane, sed cum corpore, manifestum est quod id ipsum dominicæ mentis consicij fecerint, ita volentes ipso pronomine demonstratio cunctos admonere, non panem, sed corpus fuisse communicatum apostolice & similiter corpus, non panem fuisse demonstratum. Sed & Christus si voluisset panem intelligi, potuisset æqua facilitate dixisse, Hic panis est corpus meum. atque ita per vnius adiectionem voculæ prorsus hanc litem diremisset. Quum igitur ita nequaquam dixit, & tamè voluit (vt Lutha-



tus contendit panem remanere, & eundem esse corpus suum: consequens esse videtur, ut aut non præviderit hanc tantam in ecclesia sua futuram hac pro re controversiam: aut si præviderit, voluerit tamen vtrò suam ecclesiã errare: quorum vtrũque falsissimũ est. Et hoc ut dilucidius intelligas, hæc te quæso lector paucula quædam expende.

Primum, quanta charitate Christus dilexerit ecclesiam, pro qua mortem horredam subire non recusavit.

Deinde, quanto studio cõcordiam inter nos expetiuerit, relicta nobis & donata sua pace.

Tertiũ, quã amanter promiserit non modo seipsum nobiscum ad finem vsque seculi futurum, verumetiam consolatorẽ alium se missurum, quem & veritatis appellavit spiritum.

Quartum, quòd is spiritus duceret nos in omnem veritatem, & aperiret ea nobis quæ pridem ille dixisset breuius.

Quintum, si quid obscurum videretur, id petentibus, quærentibus, pulsantibus pollicitus est fore dilucidum.

Sextum, grauissimas huius rei gratia li-

*Christus  
quibus ra-  
tionibus  
noluit pa-  
nem rema-  
nere post cõ-  
secrationẽ.*



Contra Capti. Babyl. Cap. IIII

tes & digladiationes per hæreticos exci-  
tatas ecclesiam crebrò fuisse passam, cun-  
ctis notissimum est.

Septimum, ecclesiam ipsam quatenus  
fieret certior quid in hac re creditura fo-  
ret, mille trecentos quindecim patres La-  
terani coëgisse diuini spiritus consulendi  
gratia.

Octauum, exploratissimum item esse  
nullam in illis patribus corruptione fuis-  
se, qua permouerentur negotiū istud tra-  
ctare non synceriter.

Nonum, si substantia panis in Christi  
corpus conuertatur, quemadmodum illi  
definierunt, nō debuit aliter dixisse Chri-  
stus quā dixit.

Decimum, si maneat substantia panis,  
quanquā tunc aliter dixisse Christus de-  
buerat, tamen per vnius adiectionem vo-  
culæ potuisset totā hanc discordiā sustu-  
lisse. Nam si dixisset, Hic panis est corpus  
meū, Hoc vinum est sanguis meus: omnis  
omnino sublata fuisset cōtrouersia. Quis  
igitur exactius ista secum pensans, per-  
suadere sibi potest, Christum, si mansisset  
substantia panis, voluisse tam obscure lo-  
qui, vnde tot animabus periculū tantam

*Si rema-  
neret pa-  
nis, id à  
Christo fuis-  
set reuela-  
tum.*



immineret, neque tamen postea mille trecentis patribus ob id ipsum congregatis, huiusce rei veritatē aperire fuisse dignatum, præsertim quum antè pollicitus esset petentibus, querētibus, pulsantibus, quòd acciperent, inuenirent, aperiretur eis? Cui iam credibile fuerit, noluisse Christum apostolos id ipsum apertius docuisse, præuisa tanta tragœdia futura, si tamen sensisset mansisse panem? Haud dubie vel tunc apostolos id ipsum apertius docuisset: vel nunc, saltem quum à patribus tam obnixè rogaretur, per spiritum veritatis indicasset veritatem. Nihil profectò dissimilius vero est, quàm quòd Christus hoc negotium Luthero reliquisset, qui iam docendæ ecclesiæ sibi magisteriū arrogat, suum spiritum secutus, & Christi verbum contorquens in suam hæresim, contemptis patribus, contemptaque diuini spiritus intra ecclesiam residentis præsentia. Quum itaque Christus tam apertè loquutus sit, ut articulo manifesto sanguinem non vinum, & corpus non panem indicarit, falsissimum id esse conuincitur, quod Lutherus interpretatur, quum dicat, hoc, id est hic panis (quem acceperat

*Luce. 11.*

*Falso interpretatur Lutherus verba euangelii.*



Christus) est corpus Christi, nisi pariter adiungere voluerit, hic, id est hoc vinum, est sanguis meus: quod nemini non videtur, opinor, error apertissimus.

XII.

*Altera  
duo Lut.  
argumēta.*

Cæterum ne quicquam quod alicuius fuerit momenti, Rex intactum relinquat, redit iam ad alias argutias Lutheri de calice conuellendas, quas antè prætermisit. » Sic enim eas Lutherus protulit: Et multo » clarius (inquit) quum calicis miscet nomine, dicens, Hic calix novi testamenti in meo sanguine: nonne videtur nos voluisse in simplici fide continere, tantum ut crederemus sanguinem suum esse in calice? » Et in fine primæ rationis Lutheranae sic habetur: Verum oportet intelligi panem, verumque vinum, sicut verum calicem. non enim calicem transsubstantiari etiam ipsi dicunt. Hæc Lutherus.

Has duas argutiolas regium acumen pariter vno confodit ictu, sic inquit: sicut quod tam magnificè transfert ad se Lutherus, quod Christus etiam loquitur de calice, quem nemo dicat esse transsubstantiatum, miror hominem non pudere tam intemperantis ineptiæ. Quum dicit Christus, Hic est calix novi testamenti in meo sanguine



sanguine: quid facit pro Luthero? Quid enim significat aliud, quàm id quod discipulis propinabat in calice, suum esse sanguinem? An ex his Christi verbis ostendet nobis Lutherus, manere vini substantiam, quia Christus loquitur de sanguine? aut vinum in sanguinem non posse mutari, quia adhuc restat calix?

Ecce lector & hic nihil omnino lucratum est Lutherus. Neque enim oportet, si calix ipse manserit prorsus immutatus, quòd idem intelligamus de pane seu de vino fieri. Nam calicis ad pyxidē in qua Christi corpus reponitur, iustior erit cōferentia, quàm si contuleris ad panem: quod oquidem & tria tribus aptè respondeant, nempe calix, vinū, sanguis, pyxidi, pani, corpori. In illis utique calix manet immutatus, at vinum in sanguinem vertitur. Et similiter in istis pyxis manet immutata, sed panis in corpus permutatur. Et quoniam regia sublimitas iam aperte conuicit Lutherum haud minus impiè quam pertinaciter errasse, subdit:

Vtinam præludium delegisset sibi Lutherus ex alia materia, in qua minore periculo potuisset ludere. Nam quum Bo-

N

*Roffensis.*

*Verba re-  
his.*



Contra Capt. Babyl. Cap. IIII.

hemos & Gręcos sic excuset ab heresi, vt hereticos clamet omnes esse Romanos, multo magis ostedit se Lutherus hereticū, qui non solū fidem abnegat, quam tota credit ecclesia, sed etiam deteriora credi suadet, quā aut crediderūt Gręci, aut vnquā credidere Bohemi. Huc vi-

*Reffensis.*

que Rex, & acutē profecto. Nam Bohemi nunquam hactenus ausi sunt asserere panē esse corpus Christi, id quod Lutherana temeritas affirmare nihil veretur. Et quoniam hactenus copiosē rex ostendit non posse à quoquam euangelistarū necessariō colligi manere panem in Eucharistia simul cum corpore Christi, nunc id ipsum facit quantum ad Pauli verba, nam ea prius Lutherus obiecit.

*Lutherus.*

Et Paulus (inquit) ait: Nōne panis quē  
» frangimus, participatio corporis Christi  
» est? Non dicit, in pane est, sed ipse panis  
» est participatio corporis Christi. Hac  
ille.

*Paulus*

*corp<sup>o</sup> Chri  
sti appella-  
uit panem.*

Regia celsitudo responderet: Apostolus panem non semel appellat, vel scripturę sequutus in sermone morem, quę solet interdum vocare quippiam, non id quod est, sed quod antē fuerat, vt quum virga



Aaron deuorat virgas magorum, quæ tamen tunc virgæ non erant, sed serpentes: vel contentus fortasse vocare quod specie præ se ferebant, quum satis haberet, rudem adhuc in fide populum, lacte pascere, nec primum aliud exigere, quàm vt quocunque modo crederent, in sacramento esse corpus Christi, postea paulatim solidiore cibo pasturus postquã adoleuissent in domino;

Exodi. 7.

Perspicias & hic lector, duplici telo superatum Lutherum, altero ex veteribus deprompto scripturis, altero ex nouis. Ex veteribus, primum, quando in libro Exodi serpens in quem conuersa virga fuerat, adhuc virga vocabatur: neque tamen simul virga erat & serpens, vti Rex ipse superius meminit. Sic pariter & in hoc sacramento, Christi corpus, eo quòd in ipsum conuersus sit panis, panis item à Paulo dictum est: verum non ita quòd ibi maneat panis, magis quàm cum serpente manserit virga. Et sanè multo citius serpens in quem virga fuerat conuersa, virga vocatur, quàm Christi corpus in quod mutatus est panis, vocetur panis, quum serpens nullum omnino prioris

XIII.

Reffenss.

Ponitur

panis pro specie panis S.Th.

1. Cor. 10.



virgæ retinuerit indicium, præter solam  
 fortassis lōgitudinem. At in Eucharistiæ  
 sacramento prorsus omnia panis acciden-  
 tia remanent. Quando igitur scriptura  
 propter priorem nomenclaturam, serpen-  
 tem virgam vocat, quæ tum non erat vir-  
 ga, quid mirum si iam corpus Christi pa-  
 nem appellet ob conuersionem panis in  
 ipsum? Hoc exemplū nec adhuc suis den-  
 tibus in hac responsione sua contra Re-  
 gem, Lutherus contere potuit, quan-  
 quam in hac re multis verbis nugetur.

III X  
 „ Sit verum (inquit) quod virga dicatur  
 „ draco, qui fuit virga: qua consequentia se-  
 „ quitur & hic panem dici, qui panis non  
 „ fit, sed fuerit? An hoc est sine scriptura om-  
 „ nibus locis scripturæ aptandum, quod v-  
 „ no loco reperitur? Hæc Lutherus. Cui  
 „ respondemus, non id moliri Regem, vt  
 „ quod vno scripturæ loco dictum sit, id  
 „ cæteris omnibus indiscriminatim apte-  
 „ tur, sed potius, vt quemadmodum ibi ser-  
 „ pens in quem conuersa virga fuerat, vir-  
 „ gæ retinuit nomen, quum tamen virga  
 „ non erat, sed verè serpens, ita similiter &  
 „ hoc loco, corpus in quod panis muta-  
 „ tus fuerat, panis retineat vocabulum,

Non quis-  
 que locus  
 scripturæ  
 cuique qua-  
 dras.



quãquã substantia panis, omnino defie-  
rit. Quis non videt istud consequi per  
locum similitudinis apertissimã?

Cæterum ex noua lege Rex telum a-  
liud item deprompsit. Paulus (inquit) Co-  
rinthios ad hunc modum alloquitur: Et  
ego, fratres, non potui loqui vobis vt spi-  
ritualibus, sed loquendum fuit vt car-  
nalibus, vt infantibus in Christo. lactis  
potu vos alui, & non cibo. Nõdum enim  
poteratis, imò ne nunc quidem adhuc po-  
testis. Et rursus ad Hebræos, Facti estis  
quibus lacte opus sit, nõ solido cibo. Om-  
nis enim qui lactis est particeps, expers  
est sermonis iustitiæ. Hæc Paulus. Ex qui-  
bus perspicuum esse potest, non omnia sa-  
tis aperte dixisse Paulum, non quòd non  
fuerint dicenda, sed quòd plebs adhuc in  
fide rudis mysteria capere non valuerit.

Et hac etiam ratione Rex docet Pau-  
lum potuisse moueri vt sacramentum hoc  
nomine panis appellaret, quoniam specie  
panem adhuc præ se ferebat. Satis enim  
habuit Paulus, rudem adhuc in fide po-  
pulum lacte pascere: nec hoc initio quic-  
quam aliud ab eis exigere studuit magis,  
quàm vt quocunque modo crederent in-

XI III.

1. Cor. 3.

Hebr. 5

Roffensis.



*Euchari-  
stia quare  
dicta panis*

*Corpus  
Christi vo-  
catur pa-  
nis in anti-  
q. test.*

*Hiere. II.*

*Panis no-  
mine, om-  
nis cibus  
designatur*

hoc sacramento contineri corpus Christi. De substantia verò panis an manserit necne, nihil adhuc apèrtè docuit: tantum panem vocavit, propter ipsius panis similitudinè. nam aliquo nomine vocari debuit: neque aliud quoduis quo vocaretur erat commodius: tum quia verum panem ccelestem in se continebat, tum quia panis etiam antè fuerat, & eiusdem adhuc forinsecus referebat speciem. Sed & scripturæ, Christi corpus panem vocant, neque triticeum sanè, sed spiritalem, quomodo Hieremias dicit in persona Iudeorum: Venite, mittamus lignum in panem eius. Per lignum, crux: per panem, corpus eius intelligitur. Ad quem certè modum & Tertullianus & Lactantius atque alij complures hunc locum interpretantur. Lignum (inquit Lactantius) crucem significat: & panem, corpus eius: quia ipse est cibus & vita hominũ, qui credunt in carnem quam portavit, & in crucem in qua pependit.

Adde, quòd in scripturis panis vocabulo dici solet, quicquid esibile fuerit. Nam vt scribitur I. Reg. 14. quum Saulis edicto maledicebatur quisquis vsque ad



vesperam panem ederet, in hoc maledictum incidisse Ionathan, sortium indicio declaratum fuit, quum is tamen non communem panem, sed mel gustavit duntaxat. Similiter & 4. Reg. 6. quum panem Eliseus apponi iussisset, quanquam ille de solo pane loqueretur, magna ciborum præparatio fuit apposita. Et Matth. v. quum Pharisei discipulos Christi calumniarentur, quòd non antè lauerent manus quum ipsi panem essent manducaturi, palam est ibi panem indiscriminatim intelligi pro quouis cibo. Perspicuum est ergo quòd nomine panis omnis cibus accipi solet. Sed & Eucharistiam panem posse vocari, communis usus loquendi manifestat. Nam quum ouum de quo supra disseruimus, in carnem & substantiam pulli versum fuerit, nunquid non adhuc pro communi loquendi more vocatur ouum, & tamen haudquaquam ouum est, sed verè pullus? At propterea priorem oui nomenclaturam retinet, quia specie tenus referat ouum. Atque ita pariter & hoc sacramentum pro communi usu loquendi potest adhuc panis dici, panisque vocabulum adhuc retinet

*Eucharistia rectè  
appelletur  
panis.  
Supra III.  
ibi Traditio  
historice.*



in scripturis, quamquam omnino defierit ipsa panis substantia.

XV. Sed adhuc Lutherus hac duplici solutione nequaquam contentus, pertinaciter insistit, asserens verè panem adhuc esse.

» Paulus (inquit) ait: Nonne panis quem

» frangimus, communicatio corporis Christi

» est? nec dicit, in pane est, sed ipse panis

» est participatio corporis Christi. Hic se

*Reffensis.* Pauli verbis munit haud aliter quàm im-

penetrabili quodã scuto, quo mox quod-

que iaculum reiiciat: Cæterùm si Pauli ver-

ba pensiculatus excusserimus, nequaquã

vsque adeo efficacia videbuntur pro Lu-

theri parte, atque Lutherus ipse putat.

Nam similia quædam de calice non mul-

*1. Cor. 10.* to ante dixisse Paulum constat. Calix, in-

quit, benedictionis, cui benedicimus, nõ-

ne communicatio sanguinis Christi est?

Et illico sequitur: Et panis quem frangi-

mus, nonne participatio corporis Christi

est? Profecto nihil ex posteriore parte col-

liget Lutherus, quantum ad panem atti-

net, quod ipsi non identidem ex superio-

ri colligemus, quantum pertinet & ad ca-

licem. At in pro patulo cunctis est calicem

nõ esse sanguinem: quare neque panis ex



his verbis monstratur esse corpus Christi. Cernis itaque lectior, quā hāc vnicā Lutherus habeat scripturam cui nitatur, iam plane collapsum esse, quando quidem ista Pauli verba non magis conficiunt panem esse corpus Christi, quā calicē esse sanguinē. Quāobrem quū sit omnibus apertissimum, calicem nullo modo posse dici sanguinem: nec panis credendus est esse corpus Christi.

*Quemadmodū calix non est sanguis, ita nec panis est corpus Christi.*

Cæterū quia mentionem Lutherus fecerat de gestis item apostolicis, quòd videlicet in eis hoc sacramentum panis vocaretur: & istud item Rex, eadē qua priorem argutiam abluuit, deleuit spongia. Sic enim subiicit ipse Rex: Idem potuit & in apostolorum actis contingere, vbi nec beatus Petrus alloquens populum, & illis Christi fidem insinuans, ausus est adhuc apertè quicquam de eius diuinitate dicere. Ita abdita, & populis dubia mysteria, nō temere proferebāt. Haften⁹ ipse Rex.

XV E

*Verba Regis.*

Ecce quā variè monstrat, quomodo nō omnes in primæua ecclesia protin⁹ ad solidiorem cibum admittebantur, & ad ipsa mysteriorū penetralia, sed prius alebātur aliquādiu lacte, ita vt nec Petrus quū ad

*Rossensis.*

XIV X

3. 2. 1.



Contra Capt. Babyl. Cap. I III.

*Act. 2.*

plebem de Iesu seruatore nostro loque-  
retur, quicquam ausus fuerit de diuini-  
tate eius loqui, sed virum eum appel-  
lauit approbatum a deo in omnibus vir-  
tutibus, prodigiis, & signis, perque deum  
ad vitam a morte resuscitatum. Sic pari-  
ter & quantum ad hoc sacramentum atti-  
net, factum fuisse dicit, nempe non apud  
plebem, alio quam panis vocabulo soli-  
tum appellari, propter ipsam panis, vt di-  
ximus, similitudinem. Cæterum quum ad

*Matth. 4.*

*Luce. 8.*

Apostolos, quorum erat nosse mysteria,  
simul & solidiori cibo pasci, sermonem  
Christus habuisset, ipsis articulis perspi-  
cuè docuit, non amplius remanere panis  
aut vini substantiam, sed vtriusque spe-  
cie salua, panem in carnem, & vinum in

*Matth. 26.*

*Marci. 14.*

*et Luce*

*22.*

sanguinem omnino fuisse conuersum.  
Quare neque panem, quippe qui tunc non  
fuerat, Christus indicauit, quum dixit: Hoc  
est corpus meum. Neque vinum ostendit  
quum dixit: Hic est sanguis meus. Fuit  
enim vinum iam in sanguinem versum,  
vt sæpius ante diximus.

XVII.

*Ioan. 6.*

Confirmat demum Rex illustrissimus  
ea quæ dixit, etiam verbo Christi, qui se-  
ipsum vocauit panem, quum tamen triti-



ecus panis intelligi nequeat. Et quemad-  
modum ipse dictus est panis, ita potuit &  
hoc sacramentū propter speciē panis quā  
refert, panis vocari, tametsi triticeus  
quā fuerit. Sed Regē ipsum audiamus.

Circumstantia, inquit, ipsa scripturæ de-  
clarat euidēter vocabulū panis, quū pa-  
nis mutatur in carnē, absque vlla violen-  
tia facta verbo diuino, panis significare  
speciē, nō substantiā: nisi Lutherus ad eō  
inhæreat proprietati verborū, vt Chri-  
stum credat in cœlis quoque fuisse panē  
triticeum aut ordeaceū, propterea quod  
ipse dicit de se: Ego sum panis, qui de cœ-  
lo descendi. Hucusque Rex ipse.

Cæterum hoc diluere Lutherus moli-  
tur, distinguens panem in spirituales &  
triticeum. De illo Christum, de hoc Pau-  
lū asserit fuisse locutum. Ipsa, inquit, con-  
sequētia verborum, absurditas rerum,  
pugnantia intelligentiarum, tum ipsius-  
met interpretatio, cogunt Christum de  
pane spiritali loqui, sicut dicit: Verba  
mea spiritus & vita sunt. Quorum nihil  
est in verbo Pauli de pane loquentis: imō  
omnia vrgent Paulum de pane triticeo  
loqui. Hæc Lutherus.

*Regis verba*

*Ioan. 6*

ce  
ce  
ce  
ce  
ce  
ce  
ce



*Roffensis.*

Quæ quantum habeant solidæ veritatis, iam excutiamus. Primum illud quod dicit Christum de solo spirituali pane loqui, pro nobis facit. Nam ibi quoque de sacramento isto loquitur, quod & veteres abundè testantur, sed & ipsa quoque verba Christi palam docent. Dicit enim, Panis quem ego dabo, caro mea est: quã dabo pro mundi vita. Hic lector aduertè dixisse Christum bis, dabo, semel pro pane quem esset daturus in sacramentum, quæque carnem affirmavit esse suam: atque iterum pro carne quã esset daturus pro mundi vita. Datus utiq; fuit pridè illis à patre, ad quos tũ locutus est: dedit & ipse seipsum illis ministrũ & magistrũ, cui crederet. Superfuerũt adhuc alij duo modi quibus daret seipsum. Alter quidè vt seipsum adhuc sub sacramento daret, alter verò vt carnem suam daret crucifigendam: pro quibus dixit: Panis quem ego dabo, nimirum sub sacramento, caro mea est: quã in mortem dabo pro mundi vita. Hic te, quæso, lector tecum dispicias, an ipsa consequentia verborum, aut rerum absurditas, aut pugnantia quæuis intelligentiarum, aliud urgeant, quàm hic de sacramento Christi.

*Ioan. 6.*

*Christus  
multifariã  
dat semet-  
ipsum.*



stum fuisse locutum. Sed neque verbum  
 Christi, quum dicit, Verba mea spiritus *Ioan. 6.*  
 & vita sunt. Illis enim verba Christi non  
 sunt spiritus & vita, qui Christum panem  
 faciunt triticeum, nimirum qui in ven-  
 trem vadit, & per secessum emittitur. At  
 nobis, qui Christum eiusmodi panem es-  
 se credimus, qui nos in se conuertit po-  
 tius, quam qui nostram in carne conuer-  
 tatur, panis verè spiritualis est Christus,  
 eiusque verba verè spiritualia sunt. Si pa-  
 nis triticeus Christus fuerit, profectò di-  
 geritur in carnem nostram, & permuta-  
 tur in ventre nostro: quod est absurdissi-  
 mum. Et qui sic dicunt, haudquaquam ver-  
 ba Christi spiritualiter, sed planè carnali-  
 ter intelligunt. Nos igitur vt non inficia-  
 mur Christum illic de pane spirituali fuisse  
 locutum: ita prorsus affirmamus de sa-  
 cramento nonnullam fecisse mentionem. *Christus Ioan. 6. fecit mentionem de sacramēto.*  
 Similiter & falsum est Paulum de solo  
 triticeo pane fuisse locutum. Sunt enim  
 hæc Pauli verba: Vnus panis & vnū cor-  
 pus multi sumus: nam omnes ex vno pane  
 participamus. Si de triticeo pane Paulus  
 hoc dixerit, quis precor triticeus panis  
 tantæ molis vnquam repertus fuerat, vn-

IIIVX  
 Christus Io  
 an. 6. fecit  
 mentionem  
 de sacramē  
 to.

I. Cor. 10.



de cuncti participarēt Christiani? Quamobrem & hic de Christo, pane spirituali, Paulus loquitur, & non de triticeo pane. Tu iam lector iudicium feras, vter potius immobilis truncus cēseri debeat, Rēxne, qui Christi Paulique verba spiritualiter intelligit: an Lutherus magis, qui tā crasse, tamque carnaliter eadem interpretatur, vt Christum panem faciat qui per secessum emittitur. Quis vnquam credat, eiusmodi panem æternam vitam præstare posse, & non illum potius vel solum, qui postquam fuerit comestus, nos rapit, vertit, & transformat in sese, neque poterit vnquam in nos deformari?

XVIII.

Perfistit tamen adhuc Lutherus in pertinacia sua, ganniens in hunc modum: » Stat ergo meus Paulus, inquit, aduersus » transsubstantiatores istos futiles inuictus, » & dicit: Panis quem frangimus. & duplici cornu illos ferit. Primum, quòd sua asserere nulla ratione neque autoritate possunt. Deinde, quòd frigidis suis solutionibus aliud non faciunt, quàm quòd principium vitiosissimè petunt: ac summum quod efficiunt, est, quòd possit sic esse sicut fingunt: quum probare debuerint



& factū, & ius quòd ita sit, & quòd oporteat sic esse. Hæc Lutherus: quibus per ordinem respondebimus.

Primum illud Pauli, Panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini est? non probat panem esse corpus domini: sicut nec illud quod proxime antedixit, nempe, Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne cōmunicatio sanguinis Christi est? haud comprobatur calicem esse sanguinē Christi. Sed & dicam audacius: Ex nullis vnquam scripturæ verbis comprobabit Lutherus, panem triticeum esse corpus Christi.

Deinde testamur illud mēdacissimum esse, quòd asserere nostra nec ratione nec autoritate possumus. Nam omni rationi penitus aduersatur, quòd Christus sit ille panis qui digeritur in sterces: aut quòd panis qui Christi caro est, viderit corruptionem. Habemus etiam & præter Evangelistarum testimonia quæ superius allata sunt, patrum etiam astipulationes pro nostra sententia: habemus & Cencilij generalis decretum: quod & ex sacri spiritus pendet autoritate. Hæc aperte docent Lutherum non solum in isto menda-



cem esse, quum affirmat nos nostra asserere neque ratione neque autoritate posse: verum etiam in hoc mendacissimum, & Christi verbum sic interpretetur, Hoc, id est hic panis, est corpus meum.

**XIX.** Ad tertium quod adducit, nos videlicet frigidis solutionibus principium vitiosissime petere, dicimus quod argumentantis hoc vitium est, nempe principium petere, non soluentis.

Postremo, quum adiicit summum quod efficiamus, esse, quod docemus ita fieri posse, quemadmodum asserimus: & istud sane non parui momenti cuius Christiano debet existimari, nempe docere possibilitatem credendorum. Sunt enim vsque adeo difficilia creditu, vt multo facilius impugnari queant, quam comprobari.

Opponit adhuc Lutherus inquiring: Et miror sapientissimum hunc Thomistam, cur non & accidentia transubstantiet, cum verba ista transubstantiationis iuxta suum cerebrum, solum corpus Christi sonent, Hoc est corpus meum. Ergo nihil ibi nisi corpus Christi erit, teste suo Ambrosio: quare nec albedo ibi erit cum aliis accidentibus; aut cur non differit, quidnam ob-

stet ne



stet ne panis ibi maneat, quomodo acci-  
dentia manent? Quæ necessitas perimēdæ  
substantiæ, & seruandorum accidentium?

Hic primum aduerte lector, quod ex om-  
nibus authoribus quos Rex illustrissi-  
mus attulit, neminem Lutherus persequi-  
tur præter vnum Ambrosiū, & vide quo-  
nam id faciat sophismate. Sic enim Am-  
brosium dixisse Rex recensuit: Licet fi-  
gura panis & vini videatur, nihil tamen  
aliud quàm caro Christi & sanguis post  
consecrationem credendum est. Iam sic  
argutatur Lutherus: Si nihil aliud, ergo  
nec albedo cum aliis accidentibus. Qua-  
si pueri non intelligant istud esse merè so-  
phisma: quum Ambrosij verba solum id  
aliud quod quid est excludāt, hoc est sub-  
stantiam aliam, non autē qualitatem, neq;  
cætera accidentia. Et tamen ex hoc impu-  
dentissimè Lutherus in principio Capti-  
uitatis, huius errorē impingit Ambrosio.  
Vt Ambrosium, inquit, hic errasse palam  
palpemus etiā. Ita Lutero nihil est men-  
daciū, sed neque impudentius quicquam.  
Ambrosius palam fatetur accidentia ma-  
nere, quum dicit, Licet figura panis & vi-  
ni videatur: sed negat aliam manere sub-

*Lutherus  
falso sophi-  
smate inse-  
ctatur. Am-  
brosium.*



stantiam. Nihil, inquit, aliud præter carnem & sanguinem Christi: hoc est, plane nulla substantia alia manet. Ambrosio certe, qui fuit vetustus author; & ante annos plus mille, cæterisque patribus ita visum est, aduenienti corpori Christi substantiam panis euestigio cedere. Sic illi suis temporibus eccl'esiam erudierunt: quorum vestigia recetiores secuti, cessionem hanc vocabulo transsubstantiationis appellarunt. At nunc Lutherus exortus omnia perturbans, quærit, cur non & accidentia quoque transsubstantientur? quæ rationi consentaneum fuerit, vt accidentia queant in substantiam aliquam verti.

*Panis substantia cedit corpori Christi venienti.*

*transsubstantiationem  
- id est substantiam  
- panis in substantiam  
- corporis Christi  
- transmutat*

XX.

*Substantia panis transsubstantiata remanent accidentia.*

Sed urget adhuc Lutherus: Que necessitas, inquit, perimenda substantiæ, & seruandorum accidentium? Respondebunt patres se metuisse talem aliquando exorturum, qualis vel Vuiclefus fuerat: qui negaret illic esse substantiam corporis Christi, eò quòd maneat ibi substantia panis vel qualis iam Lutherus est, qui diceret hanc substantiam esse illam: hoc est, substantiam panis, esse carnem Christi: quod illis non modo falsum, verum etiam absurdissimum videbatur. Patres ergo instinctu



sancti spiritus, qui moderatur ecclesiā, errorē vtrunq; præuidentes, scriptū posteris tradiderūt, non manere substantiā panis. Neque enim de accidentibus cuiuspiā oriri dubitatio potuit, essentne illa corp<sup>o</sup> Christi: neq; metus ob hæc vllus patrib<sup>o</sup> fuit, ne quis vnquā adeo crassus hæreticus oriretur, vt ea cōtenderet esse carnem Christi.

Subiungit Lutherus: Prætereo hic rhetoricissimum illum contemptum, dū duas urgentissimas similitudines apposui, de ferro ignito, & deo incarnato: vbi neque igni ferrum, neque diuinitati hominem necesse est cedere. Mihi enim etiam si nō necesse sit mea asserere, tamen satis negotij fecero assertori, si suum figmentum aliter se posse habere demonstrauero. Ita que possum dicere Corpus Christi sic saluo pane in sacramento esse, sicut est ignis in ferro salua ferri substantia: & deus in homine, salua humanitate, vtrouque sic mixtis substantiis, vt sua cuique operatio & natura propria maneat, & tamen vnum aliquod constituāt. Sic dicere, inquam, potero, donec papistæ hanc similitudinē non contemptu Thomistico, sed assertione fidei sustulerint. Ipsorum est enim as-



» firmatiuam probare, quam ego vna parisi-  
 » culari possum labefactare. Non enim est  
 » hoc assertionem sacramentorum scribere,  
 » re, aduersarij argumenta transilire & con-  
 » temnere, vt hic facit insulsus Thomista:  
 » sed demonstrare ea esse nulla & inania:  
 » alioqui ea pro inuictis haberi cogit ipse  
 » assertor sua ridicula dissimulatione, &  
 » meticulosa fuga.

*Roffensis.* Dixi pridem, & ita sanè verissimum est,  
 » lōge facilius est oppugnare nostra, quàm  
 » eadem statuere, quandoquidē ex fide ma-  
 » gis quàm ex humana ratione pendeāt. Sa-  
 » tis nobis fuerit ea sequi, quæ patres tam  
 » eruditione, quàm vitæ sanctimonia pro-  
 » batissimi nobis reliquerūt. Quibus si quis  
 » hæreticus nolit credere, hunc oportet ra-  
 » tionem efficacem reddere, cur ita credere  
 » minime teneatur: alioqui neutiquam au-  
 » diendus est. Neque enim satis est vt reii-  
 » ciat nostra, si dixerit ea non esse sufficien-  
 » ter probata: nisi rationem etiam omni lu-  
 » ce clariorem attulerit, cur non debeant ea  
 » credi: qualem nullam hactenus Lutherus  
 » attulit. Et nunc post tam graues tumultus  
 » excitatos ita subterfugere molitur, quasi  
 » non incumbat ei suarum opinionum pro-

*Asserta  
 aduersus fi-  
 dem nihil  
 efficiunt si-  
 ne demon-  
 stratione.*



batio. Mihi, inquit, etiam si non necesse sit  
mea asserere, tamen satis negotij fecero  
assertori, si suū aliter se posse habere de-  
monstrauero. Et paulo post. Ipsorum, in-  
quit, est affirmatiuam probare, quam ego  
vna particulari possim labefactare.

Et ego quidem in hoc assentior Luthe-  
ro, quod facile cuius assertori negotium  
facessere possit, & sophismatibus suis non  
nihil impedire quæ statuat assertor. Nam  
facilius est (vt aiunt) demoliri, quàm ex-  
struere: sed quod ad oppugnatorem non  
pertineat vel asserere sua, vel ab incepto  
desistere, modis omnibus dissentio. Quid  
verò per affirmatiuam sibi velit, non intel-  
ligo. Nam quantum ad hoc negotium at-  
tinet, nostra est negatiua: panem videlicet  
non esse corpus Christi, & non manere  
substantiā panis: ex quibus colligitur trās-  
substantiationem panis factam esse.

Cæterum vt iam ad similitudines quas  
attulit, veniamus:

Nil hic miror, si mentiatur Lutherus, **X XI.**  
qui nusquam fere non mentitur. Dicit hic  
Regem contemptu Thomistico similitu-  
dines suas, nempe de ferro & igne, & de  
deo incarnato, transiisse: quod falsum



*Verba regis.*

esse deprehendes lector, si Regis librum euolueris. Sic enim de priori exemplo scriptum haud longe ante finem huius captiuitatis: Nec ego certè, inquit, veterum ferè sanctorum patrum quemquam puto fuisse probaturum concinnam istam Lutheri similitudinem ferri cum igne coniuncti. Nam nemo vnquam dixit sic ferrum in ignem conuerti, vt tantum ferri species relinquatur, substantia ferri in ignis mutata substantiam: quod de pane & Christi carne veteres senserunt omnes. Hactenus ipse Rex. Quibus verbis abunde confutauit Lutheri sententiam, qua contèdit ipse panem esse corpus Christi. Quòd si dixerit Lutherus hoc saltem exemplo patere, quomodo manere possit panis vnà cum corpore Christi: respondet ei Rex, se iam de re & non de rei possibilitate disputare. Neque enim quid possibile, sed quid factum sit, disquisiuit.

Adde, quòd à posse ad esse, consequentia nullius roboris est. Sed & paulò superius rationes reddidimus cur vetustis patribus spiritu sancto plenis visum fuisset non manere substantiam panis, quorum patrum, & nō minimo certè numero, sen-



De substantia panis in Eucharistia. 106

tentias ipse rex recensuit. Et quæ est ista dogmatum constantia, ut Lutherus nunc asserat panem esse corpus Christi, nunc subterfugiens dicat panem non esse corpus, sed manere cum corpore? Vtrunque eertè nõ est hominis habentis omnia sua dogmata de cælo. Quântum igitur ad exemplum attinet de ferro ignito, satis constat nec ignem ferrum esse, nec è diuerso ferrum ignem: quare nec hoc exemplo conficitur ut panis verè dicatur caro Christi quod Lutherus tamen per errorem asserit. Sed neque substantia ferri permutatur in substantiam ignis, quemadmodum de pane fieri in carnem Christi, patres traderunt. Hoc respondisse Luthero, regi satis fuit quântum ad exemplum igniti ferri.

Cæterum quia Lutherus contēdit hoc **XXII** exemplo, manere posse substantiam panis vnà cum corpore Christi, Rex ex feruore fidei, quam habet erga sacratissimũ Christi corpus, non nihil adiecit. Quisquis (inquit) beatissimum Christi corpus sic ut debet existimat, facilius assentietur quascunque duas substantias simul manere coniunctas, quàm vllum corpus aliud manere coniunctum cum venerãdo cor-



*Creatrix  
substantia.*

pore Christi. Neque enim vlla substantia digna est quæ cum ea misceatur substantia, quæ substantias omnes condidit. Nec hic per creatricem substantiam Rex carnẽ Christi vult intelligi, quemadmodum Lutherus multis verbis postea blaterat: sed ipsum Christum, qui cuncta creauit. Neque enim negat Rex possibilitatẽ talis vnionis (modò sic visum fuisset deo) sed fatetur indignitatem, vt panis corruptendus incorruptibili Christo sic misceatur. Et quis nõ intelligit etiam humanam naturam indignã fuisse quæ verbo misceretur? quanquam & ea præseruata fuerit à corruptione, ne videlicet id quod verbã olim assumpsit, corruptionem pateretur. At panis si maneat, sæpe de facto corrumpitur, & sæpe reuera dimittitur. Quamobrem & rex eam ceu rem indignam cõset, quæ cum incorruptibili Christo commisceatur. Nec verum est, vt gannit Lutherus, quòd accidentia permiscentur corpori Christi, quemadmodum accidentia ignis ferro. Nam sic & Christus esset albedine panis albus, sicut & calore ignis ferrum calet. Sed hætenus pro priori exemplo: nunc alterius exempli mentionẽ Rex

*Accidentia  
panis non  
permiscen-  
tur corpori  
Christi.*

iii 9



continenter subiicit, dicens:

Præterea olim patribus opinor multo adhuc minus fuisse placituram illam Lutheri collationem, qua sic vult panem simul restare cum carne, sicut restabat in vna Christi persona deus cum homine. Nam vt passim veterum quisque patrum doctissimus atque sanctissimus fatetur panem mutari in carnem: ita nemo tam impius erat, aut inscius, vt humanitatem conuertere senserit in diuinitatem, nisi forte nouam nobis personam fingat Lutherus, vt quomodo deus assumpsit hominem, ita deus & homo assumant panem & vinum. quod si credat, habebitur (opinor) hæreticus apud omnes qui non sunt hæretici.

Ecce lector neutram similitudinem retrahit, vt falso Lutherus mentitur: neque negat quin panis à Christo suppositari possit: modò Christus ita voluisset. Sed quoniam patres contrarium communiter asserunt: non dubitat Rex, cum qui contra tot sanctos & tam eruditos patres in re tam augusta sentiat, hæreticum habendum apud omnes qui non sunt hæretici.

Cæterum hoc secundum exemplum lo-

*Panis non  
restat cum  
carne, sicut  
humanitas  
cum diuini-  
tate.*



*Panis non  
supposita-  
tur in Chri-  
sto.*

ge diuersum est à priori. Vniuntur enim  
ibi duæ naturæ, diuina scilicet & humana  
sub vno supposito verbi. Sed quoniã eius-  
modi suppositio supra naturæ vires est,  
æquè vt substantiam panis in carnẽ Chri-  
sti mutari, multasque præterea secum ha-  
bet absurditates, & hanc præsertim, quòd  
Christus sæpe dimissurus sit quod in vni-  
tatem suppositi prius admiserat, ideo cen-  
set eam Rex non admittendam: & maximè  
quia nemo patrum eam tradidisse legitur.  
Cæterum si talem suppositionem panis  
in Christo Lutherus de facto, nõ de pos-  
sibili probauerit, nos etiam contra patres  
cum eo sentiemus, & manus ei dabimus.  
At istud (scio) faciet nunquam. Interea  
nobis æquius est patrum sequi vestigia:  
simulque quod spiritui sancto visum fuit  
per illos tradere nobis, æquius est ample-  
cti, quàm Lutheri tortuosas ambages, quã  
sub colore libertatis nihil aliud quàm no-  
dos quærat quibus irretiantur imbecillius  
animi, quos tandem ad summam ita ducat  
perniciem.

Multos vtique patres tam eruditione  
quàm sanctitate claros, Rex pro sua par-  
te produxit, nimirum Eusebium, Emise-



De substantia panis in Eucharistia. 102

num, Augustinum, Gregorium Nyssen-  
num, Theophylactum, Cyrillum, & Am-  
brofium, atque alios qui fatentur vna-  
nimiter, panis mutari substantiam, & non  
manere facta consecratione. Atque ideo  
Rex istos introduxit, quòd Lutherus  
contendit ecclesiam mille ducentos an-  
nos credidisse manere panem, nec v-  
quam ante trecentos hos nouissimos an-  
nos patres de panis mutatione meminis-  
se: quod apertissimè falsum esse Rex tot  
patrum testimoniis comprobauit: istud  
etiam adiungens, quod postquam eccle-  
sia verum istud esse decreuerit: etiam si  
nunc primum decerneret, tamen si vete-  
res non credidere contrarium, quanquam  
ea dere nunquam ante quisquam cogi-  
tasset, cur non obtemperaret totius ec-  
clesiæ præsentì decreto, persuasus id nūc  
tandem reuelatum ecclesiæ, quod ante la-  
tuisset? Spiritus enim sicut vbi vult spi-  
rat, ita spirat & quando vult. Hactenus  
ipse Rex.

Verùm hæc aure surda Lutherus, si-  
cut & pleraq; alia, transfiliit fortiter. Solū  
ex omnib; Ambrosiū carpit, atq; id quidē

*Multorum  
authorita-  
te probatur  
panis trās-  
substantia-  
ri.*

*De panis  
mutatione  
non est no-  
ua opinio.*



Contra Captiuita. Babyl. Cap. IIII.

sophismate nimis quàm futili, de quo supra differuimus.

Multa prætereo, ne sim alioqui nunquàm finem facturus, & maxime si Lutheri conuiciis respondere vellem, quæ sunt innumera. Nihil tamen omisisse me memini quod vlla dignum esset responsione: vt nihil dubitem quin æquus lector diiudicaturus sit Regem solidis & rationibus & scripturis innixum fuisse, Lutherum contra maxime friuolis. & quanquam ita res verè se habeat, audio tamè in huius quarti calce Lutherum ouantem, perinde ac si peruicisset. Ne sim ingratus (inquit) magisterio domini Henrici, nunc muto & transubstantiare volo meam sententiam, & dico: Antea posui nihil referre, sic siue sentias de transubstantiatione: nunc autem visis rationibus & argumentis assertoris sacramentorum pulcherrimis, discerno impium esse & blasphemum, si quis dicat panem transubstantiari: catholicum autem & pium, si quis cum Paulo dicat, Panis quem frangimus, est corpus Christi. Anathema sit, qui aliter dixerit, & iota aut apicem vnum mutarit, etiam si sit dominus Henricus nouus & eximius Tho-



mista. Hæc Lutherus.

Hic primum attende lector, hominis *Roffensis*,  
inconstantiam, qui tamen gloriatur se cer-  
tum esse habere se omnia sua dogmata è  
cælo. Si pri<sup>o</sup> illud dogma de cælo susce- *Lutherus*  
pisset, quâ fieri possit vt istud item quod *secum pu-*  
contrarium est, fuisset è cælo? Nam certû *gnat.*  
est è cælo non iam venire pugnancia do-  
gmata. At ista manifeste pugnant, licet, &  
non licet. Prius autem docuit licere, nec  
referre quicquam, sic, siue aliter sentiat  
quiuis: nunc autem impium decernit sic  
sentire.

Deinde consideres & istud, nempe *Mendaciu*  
quod affirmat catholicum & pium esse, si *Luthers.*  
quis cum Paulo dicat, Panis quem fran- *1. Cor. 10.*  
gimus, est corpus Christi. At Paulus istud  
nunquam dixit. Sic non pudet magistrum  
istum è cælo nobis datum, de Paulo mē-  
tiri. Paulus vtique dixit, Panis quem frā-  
gimus, nonne participatio corporis do-  
mini est? At ex eo non colligitur quòd pa-  
nis quem frangimus, sit corpus domini:  
quoniam & idem ipse Paulus superius di-  
xit: Calix benedictionis cui benedicimus,  
nonne communicatio sanguinis est Chri-  
sti? Sed ex hoc haudquaquam colligitur



*Luthe. ex-  
communi-  
cat sci-  
sum.* ¶ Calix iste sit sanguis Christi. Quare nec  
ex altero colligi potest quod panis fuerit  
corp<sup>o</sup> Christi. Postremò videbis lector, si  
Lutherù obserues, quàm aperto seipsum  
feriat anathemate. Anathema (inquit)  
sit, qui aliter quàm Paulus dixerit, & iota  
aut apicem vnum mutarit. Quamobrem  
quum Lutherus longe aliter Paulum re-  
censeat, quàm vel ipse dixerit, vel ex eius  
verbis possit colligi, an nō plane seipsum  
anathemate ligat. Et hic finis esto quarti.

Missam haudquaquam testamentū esse.



*Intentio  
Lutheris.*

Ed iam quinto loco nobis  
executiendum est, an missa  
rectè nouum dicatur testa-  
mentum. Astruere conatur  
Lutherus missam testamen-  
tum esse, atque id ceu fun-  
damentum immobile, super quo diaboli-  
eam suam structuram erigat, constabilire  
modis omnibus nititur. Nos verò nō am-  
bigimus ostendere non solum hoc funda-  
mentum non esse immobile, verumetiam  
ea quæ super hoc ædificare molitus est,  
nulla prorsus niti soliditate. Nā & ex eo-  
dem fundamento colligit missam nō esse